



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 10. Quàm vtilis, etiam peccatoribus, sit cultus reliquiarum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

sed per inopes accipiens. Da pauperi pecuniam,
& indicem mitigaueris. Hoc & Aglais fecit;
& si facerent aliæ quoque, in malo Aglai-
di pares feminæ, fortasse & ipsæ misericor-
diam consequerentur.

§. X.

*Quam utilis etiam peccatoribus, sit cultus
reliquiarum?*

Sed aliud quoque fecit Aglais, quo sibi
patrocinia conciliauit. Subijt enim illam sa-
lutaris cogitatio ac vehemens quoddam & inui-
ctum desiderium reliquiarum Martyrū. Hinc
Bonifacium ita est allocuta. Scis, frater,
qualibus simus coinquinati peccatis, nec nobis
cura esse aliquid, quod expectamus futurum,
ut sistamur ante Deum, & pro his grania su-
beamus supplicia. Ceterum audini a quodam
viro pio, quod, si quis eos, qui propter Christum
passi sunt martyrium, in honore habuerit & co-
luerit, magna quedam & praeclara eum illinc
ex eo manet remuneratio, & eadem qua illi,
fruetur beatitudine. Hæc est altera causa,
ob quam Aglaidem à Deo non negligi con-
gruum fuit; quia scilicet ipsa Sanctos
Sanctorumque reliquias non neglexit.
Quod r. fecit, exemplo Patriarcharū. Nam
Iacobus Edyssenensis Syrus memorat, Patri-
archam

Apud
Andream

archam Noë, tempore diluuij, ossa primi parentis Adam, intra arcam reclusisse, finitoque diluuiio, illa inter filios suos diuisisse, caputque, tanquam præcipuam partem, præcipuo ac primogenito filio donauisse.

Cuius facti, sunt qui dicant, causam fuisse, venerationem reliquiarum protoplasti. Procopius Gazæus referens diuitias, quas filij Israël ab Aegyptijs mutuò acceptas, in terram promissionis secum deduxerunt, ait:

Hebraei, quia carnalia sectabantur, iussi sunt mutuò accipere argentea, & aurea vasa: Moses elegit viri iusti Ioseph ossa, quæ prætulit immensis thesauris Aegyptiorum. Habétq; huius rei aliquod, in diuinis litteris, fundamentum; dicitur enim: *Tulit quoque, Moses ossa Ioseph secum.* Hos, aliòsque Sanctos imitata est Aglais, in Diuorum reliquijs venerandis.

2. Has venerata est reliquias, quia, vt discretissimus Pater ait: *Deus, qua est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, & hanc quoque viam nobis à se munitam esse voluit, idoneum ad virtutem capessendam stimulum; relictis scilicet interim, apud nos, Sanctorum reliquijs.*

Nam, post sermonis facultatem, ipsa certè Sanctorum reliquia proximum locum obtinent, ad animas

Masium
super c.
vltim.
Iosuz.

Procop.
Gazæ. in
Exod. 13.

Exod. 13.
19.

S. Chry-
soft. lib.
contra
Gentiles.

animas hominum, in ipsos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem emulationem, excitandas; sepulchri enim sancti aspectus in animam nostram inuadens percellit, & exsuscitat, ac perinde afficit, ac si, qui ibi mortuus jacet, preces simul fundat, præsensq; adesse cernatur. Deinde fit, ut qui se sic affectum cernit, mira alacritate gestiens, & quasi alius ex alio recedat. Hoc contigit Bonifacio, qui martyrum certamina spectans, martyr euasit. Hoc euenit Aglaidi, quæ dum voluit martyres, in suis reliquijs, honorare, Martyrum preces meruit; inque ossibus Bonifacij perpetuum habuit vitæ sanctioris exhortatorem. Nam anima quidem illius, in cœlo, pro ea, Deum orauit; corpus autem, ex ipso tumulo, ad quem illa quotidie suplex jacuit, eam exemplo, ad imitationem pœnitentiæ prouocauit. Sic correcta peccatricis incontinentia, *gloriam ex culpa inuēnit*. Si autem hoc sanguis Martyrum potuit; sanguis Christi quid non valebit, qui sanguini Martyrum vim omnem, virtutemque contulit? Seculi sapientes aiunt: *Piaculum est, misereri nos hominum rem malè gerentium*; & aliorum sanguis ad cœlum clamat, ut vindictam impetret: sanguis Christi, clamat ad cœlum, ut

veniam

Plaut. in
Trucul.

veniam impetret; estque tam mitis, ut gloriosum ducat, *misereri hominum*, etiam *rem male gerentium*. Hanc indolem à Magistro suo Sancti trahunt, qui sciunt, misericordiæ esse officium, miseris succurrere.

C A P V T X V I I I .

Deum, infinita sua clementia, omnes ad pœnitentiam gratiarumq; actionem inuitare.

§. I.

Anima balneum, lachryma pœnitentis.



Anguis Christi Seruatoris tantæ est efficacitatis, ut non ille solùm delere peccata mortalium possit; sed etiam vim conferat sanguini Martyrum peccata propria abluendi, & alienis veniam impetrandi. Neque sanguini tantùm, sed etiam aquis Baptismi, & lachrymarum hanc virtutem indit. Scribit Aristoteles, fontem esse in Sicilia, in quo si aues aliq; animalia suffocata immergantur, reuiuiscant. Et multos audiui oculos testes, qui se vidisse affirmarunt, canes in antrum quoddam Italiae inductos viuos, reductos pestilenti aurâ velut mortuos; qui, si in proximum stagnû iniiciantur, ad se & vitam pristinam redeât.

Aristoteles in Admirandis cap. 28.

D d

Quis